6
34.21.C.8. 151

IVDICIVM
S. FACULTATIS THEOLOGICÆ
LOVANIENSIS

Super hac aſſertione,

Attritio quæ ex ſolo gehennæ, aut pœnarum à Deo infligendarum metu concipitur, ſine interventu alicujus ſaltem imperfecti amoris benevolentia erga Deum, non ſufficit ad juſtificationis gratiam in Sacramento impetrandam.

PER REVERENDOS DOMINOS
PASTORES GANDAVENSES
PROPOSITA,

BIBLIOTECA ROMA VITT. EMANUELE

LOVANII,
Typis ADRIANI DE WITTE, viâ vulgo de Pro-ſtraet, ſub ſigno Pavonis. 1673.

344.c.8

LECTOR.

JUdicium *quod à ſacra Facultate Theologica Lovanienſi obtinuimus ſuper doctrina de Contritione ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſitâ, ab anno & amplius prodiit nobis omninò inſciis, idiomate Gallico, ſine nomine typographi, & cum nonnullis mendis ſubſtantialibus, quæ illius incuriâ irrepſerunt; nè autem vitia iſta nobis ſiniſtrè imputentur, & ipſa doctrinæ ad ſalutem pernéceſſariæ veritas ſub illo prætextu notam aliquam patiatur, conſultum, imò neceſſe exiſtimavimus,* Judicium *illud, cum ipſo autographo collatum, & ſervato Iuris præſcripto, tibi exhibere.*

M. Kieckemans *Paſtor S. Michaëlis.*
J. Coen *Paſtor S. Martini.*
P. V. Buſcum *S.T.L. Paſtor Cathedralis Gandavenſis.*
P. A. Caſtello *Paſtor B. Mariæ in S. Petro.*
J. Adriaenſſens *S. T. L. Paſtor in S. Iacobi.*
J. de Croock *S. T. L. Paſtor S. Salvatoris.*
N. Tambuyſer *Paſtor D. Michaëlis.*
R. Nottingham *Paſtor S. Nicolai.*
H. Baes *Paſtor S. Iacobi.*

Meritò & utiliter imprimetur
J. GILLEMANS *S. T. L. Eccl. Cath. Gandav. Can. & Pœnit. Lib. Cenſor.*

Digitized by Google

PASTORUM GANDAVENSIUM
EPISTOLA
Ad Facultatem Lovanienſem.

A

Admodum Rdi & Eximii Dni,

Super doctrina quam habuimus hactenus, atque etiamnum habemus penitùs ſanam, & quam uti omnino ſecuriorem fidelibus nobis commiſſis pro concione & quavis occaſione inſtructionis in praxi propinare ſoliti fuimus, hic inopinatè traduci cœpimus; et ſi plerique noſtrûm eam à ſchola veſtra palam traditam ac commendatam fuiſſe probè recolant. Hinc eſt, quod ne in re tanti momenti & conſequentiæ pro ſalutari directione & pabulo animarum quidquam temerè à nobis ſuſcipi aut continuari forſan poſthac contingeret, quæſtionem ipſam & doctrinam de qua traducimur cum quibuſdam ejus fundamentis Sacræ veſtræ Facultati repræſentandam æſtimavimus, ut, ſi quid nos minus recte ſentire aut docere compererit, id totum prudentiſſimo ac ſapientiſſimo ejus judicio emendetur. Deus ipſe teſtis, nullo nos in hac re partium aut contentionis ſtudio perurgeri, ſed ſola veritatis ac ſalutis animarum, quantum noſſe poſſumus, pia quadam ſollicitudine duci, promptiſſimè ſemper in viam, ſi for-

e aberraſſe videamur, ad cujuſcumque inſtructionem aut etiam monitionem, redituri. Doctrina vero quæ hic in controverſiam vocata fuit, hæc eſt: *Attritionem quæ ex ſolo gehennæ aut pœnarum à Deo infligendarum metu concipitur, ſine interventu alicujus ſaltem imperfecti amoris benevolentiæ erga Deum, non ſufficere ad juſtificationis gratiam in Sacramento impetrandam.* Confidimus cauſæ ipſius momentum graviſſimum, quale eſt innumerarum animarum ingens periculum, non difficulter impetraturum ab eximio ac ſapientiſſimo veſtro cætu ſuper doctrina iſta *Iudicium*, & quod nobis poſſet aut deberet in ea re eſſe conſilium: quæ ut ardentiſſimè expetimus, ita pro ſolita veſtra benevolentia ac zelo promptiſſimè nobis concedenda nullo modo ambigimus. Deum interim precabimur ut ſapientiſſimum veſtrum cœtum proſperet & Eccleſiæ ſervet. Infra habebatur:

Ad^m. R^dl. & Exim. D^nl. Servi humillimi, Paſtores civitatis Gandenſis, & erant ſubſignati:

GREGORIUS BREYDEL Presb. D. Michaëlis Gand. Paſtor.

M. KIECKMANS Presb. Paſtor D. Mich.

JO. COEN Paſtor S. Martini.

P. v. BUSCUM Paſtor Cathedralis.

P. à CASTELLO Paſtor B. Mariæ.

JO. ADRIAENSSENS Paſtor S. Jacobi.

JO. CROOCK Paſtor S. Salvatoris.

N. TAMBUYSER Paſtor S. Jacobi.

R. NOTTINGAM Paſtor S. Nicolai.

Et inferius ſcriptum erat: Gandavi 12 May, 1662.

Superſcriptio verò erat talis. *Ad^m. R^dis. & Eximiis D^nis. ac Magiſtris noſtris DD. Decano, cæteriſque Doctoribus Facultatis S. Theologiæ in Academia Lovanienſi.*

PASTO-

PASTORUM GANDAVENSIUM

Adverſus doctrinam de Attritionis ex ſolo pœnarum metu profectæ ſufficientia.

TRACTATUS.

Oſtenditur ex Scriptura Sacra quod, ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, non ſufficiat dolor de peccatis ob ſolum metum gehennæ, ſed neceſſario intervenire debeat dolor de peccatis ut ſunt offenſa Dei, adeoque affectus benevolentiæ erga Deum.

QUod nemo adultus, qui propriæ voluntatis arbitrio peccavit, liberari poſſit à reatu ſui criminis, niſi adjuvante gratia per actum etiam propriæ voluntatis, & præſertim per motum aliquem pium aut perfectæ, aut ſaltem inchoatæ charitatis revertatur ad Dominum Deum ſuum, quem peccando deſeruit, multis locis nos docet Scriptura Divina: nam inprimis cum B. Apoſtolus Paulus admodum frequenter moneat non eſſe expectandam juſtitiam ex operibus legis, ſed ex fide in Dominum noſtrum

 Ieſum

Jeſum Chriſtum: quod id non poſſit intelligi de tali aliqua fide cui non adjungitur pius affectus charitatis Dei, aut perfectæ, aut ut minimum inchoatæ, hinc demonſtratur, quod Galatis exponens de qua fide loqui ſoleat, ita ſcribit: *Eva-*
4. *cuati eſtis à Chriſto qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis; nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus, nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Non igitur fides quæ per timorem, ſed quæ per charitatem operatur, eſt illa toties ab Apoſtolo laudata & commendata fides, per quam ſolam docet ſperari debere juſtitiam & remiſſionem peccatorum: Unde qui & in Paulo locutus eſt Chri-
5. ſtus, dum ore proprio dixit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur:* non aliam utique fidem præcepiſſe intelligendus eſt, niſi illam quam per os B. Pauli toties ut neceſſariam prædicavit, hoc eſt, fidem, *quæ per charitatem operatur.*

Quod ſi aliqui exiſtiment in eo eſſe ſitam virtutem ſpecialem ſacramentorum novæ legis, quod ſine præcedente diſpoſitione perfectæ aut inchoatæ charitatis donum juſtificantis gratiæ quo delentur peccata conferre ſuſcipientibus poſſint, bene illi attendant quod hactenus Catholica noſtra Mater Eccleſia nunquam docuit Sacramenta potius valere ad juſtificandum peccatores quam Chriſtianum martyrium, cui à Domino noſtro ſcimus eſſe factam eam magnificam promiſſio-
10. nem: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Et tamen ſecundum Apoſtolicam doctrinam, ſine charitate adeo parum valet corpus tradere ad martyrium, ut non vereatur S. Apoſtolus de hoc

ſcribere

ſcribere Corinthiis: *Si tradidero corpus meum ita ut* 1
ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi pro- 3
deſt: Ad quem locum reſpiciens D. Thomas, & de Baptiſmo ſanguinis loquens: *Effuſio ſanguinis,* inquit, *non habet rationem Baptiſmi ſi ſit ſine charitate.* Quid igitur putamus Doctorem gentium, ſi de peccatoribus cum ſolo pœnarum metu abſque ullo charitatis erga Deum affectu Sacramentum ſuſcipientibus conſuleretur, reſponſurum fuiſſe, niſi conformiter ſecundum id quod de martyrio ſcripſit, & dicturum: ſi quis ita timuerit gehennam ut etiam toto corpore contremiſcat, & propterea de peccatis ita contriſtetur ut lacrymas abundanter effundat, charitatem autem non habuerit, nihil ei prodeſt? non eſt enim iſta triſtitia ſecundum Deum, quam idem Apoſtolus dicit pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operari, dum ait: *Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam; contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis, quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt* (id eſt, ſecundùm D. Thomam, quæ ex Dei amore cauſatur,) *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur;* quin imo peccator, quamdiu ita pœnam timet aut propter illam triſtatur ut Dominum Jeſum non amet, adhuc terribile iſtud Apoſtolicum anathema non evadit: *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema.*

Et tota fere Scriptura Divina non aliud clamat ad peccatores, niſi ut prius illi ſe convertant ad Dominum Deum ſuum, ſi velint ut converſis deinde miſericordia divina ignoſcendo ſubveniat. Ibi legimus: *Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & ego convertar ad vos, dicit Dominus exercituum;* item: *niſi converſi fueritis, & effi-*

ciamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Item: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* & Paulus in actis Apoſtolorum: *Gentibus*, ait, *annuntiabam ut pœnitentiam agerent & converterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes.* Utique quia digna pœnitentiæ opera non facerent, niſi ad Deum converterentur; ſed quomodo converterentur ad Deum niſi amando? amor enim noſter eſt pondus noſtrum: illo ferimur omnes quòcumque ferimur. Et quemadmodum Deus, cum ad peccatores pœnitentes convertitur, utique ad eos diligendo convertitur; ita etiam peccatores cum ad Deum agendo pœnitentiam dicuntur converti, non aliter ſunt intelligendi, niſi Deum diligendo, converti. Sed ordo dilectionis divinitus inſtitutus inviolabiliter eſt obſervandus, ut ſcilicet prius homo Deum diligat, & tunc deinde à Deo diligatur, iſta nimirum dilectione, qua non diliguntur niſi filii Dei, de qua dicit æterna ſapientia Patris in proverbiis Salomonis: *Ego diligentes me diligo.* Et in Evangelio S. Joannis: *qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Item: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit,*
23. *& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Quamquam & iſtam dilectionem noſtram, propter quam nos Deus ut filios diligit, neceſſe ſit adhuc priori erga nos Dei dilectione præveniri, quia & ipſum initium bonæ voluntatis quo diligere eum incipimus, niſi dono miſericordiæ & munere gratuito divini amoris ejus habere non poſſumus; propter quod S. Joannes ſcribit: *Diligamus Deum, quo-*
4. *niam Deus prior dilexit nos.*

Timorem vero pœnarum nonnunquam S. Scriptura validiſſime incutit peccatoribus; ſed eo

ſine

ſine id agit ut quaſi per ſetam timoris inducatur filum amoris; & ut peccator poſtquam expergefactus à timore ſurrexerit ad diligendum optimum Deum quem offendit, diligatur deinde ab eo quem diligendo placavit; ſicut & filius prodigus de quo loquitur Evangelium S. Lucæ, primo miſeriam ſuam horruit, ſed inde excitatus eſt ut ad Patrem iret, & offenſionem boni ac dilecti Patris deteſtaretur, dicens: *Pater, peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus*, &c. tum demum Sacramenti reconciliationis fructu donatus eſt, & in domum ac familiam patris iterum aſſumptus; non ut ibi deinceps timore tantum pœnarum ſerviret, ſed libera charitate Patri obediret; atque in virtute ſpiritus adoptionis quem acceperat, in omni ſua neceſſitate invocaret Patrem, ſicut dicit Apoſtolus: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba, Pater.* Quem ſpiritum adoptionis filiorum retinere non poſſet, ſi in obſervatione præcepti ſolummodo pœnam timeret, & juſtitiam legis præcipientis non amaret; quia etſi foris non perpetraret peccatum, tamen à pravo deſiderio quo peccare vellet, ſi poſſet impune, cor ejus in conſpectu Dei non inveniretur immune. Nam ſive ad deteſtandum præteritum, ſive ad vitandum futurum peccatum, nemo poteſt veraciter dicere cum Propheta: *Iniquitatem odio habui & abominatus ſum:* niſi poſſit etiam cum eodem Propheta veraciter dicere quod ſequitur: *Legem autem tuam dilexi.* Quid eſt autem, *legem tuam*, niſi teipſum, hoc eſt Juſtitiam æternam & veritatem? Unde dicit: *Juſtitia tua, juſtitia in æternum, & lex tua veritas,*

S
11.
CE
Lu
15
Ro
15.
Pſal.
163.
Ibid.
Ibid

Non debet, quidem filius adoptatus vivere
abſque timore, cum ſcriptum ſit: *cum metu &*
ıſt *tremore ſalutem veſtram operamini*: ſed alius eſt timor
. in ſervorum, alius filiorum; alius eſt timor non
ıan. caſtus, quo etiam adultera virum ſuum timet,
ı- etſi odio illum habeat, quia cupiditatibus ejus
obſiſtit, magis deſiderans ut abſens ſit vir ejus
quam præſens, & in alienos amplexus promptiſ-
ſimè ventura, niſi iram viri & verbera timeret.
Alius vero eſt timor caſtus, quali uxor pudica
virum ſuum timet, obſervans diligenter, ne quo
facto dictove animum illius offendat, ne offen-
ſus à ſe diſcedat, cujus præſentiam ſemper deſi-
derat, cujus amore plurimum delectatur. Item
alius eſt timor de quo S. Scriptura dicit, quod
n. 4. *pœnam habet*: Alius cui jungere ſolet gaudii exul-
tationem: ut cum David Propheta canit: *Ser-*
2. 11. *vite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Alius
denique eſt timor qui non eſt in charitate, &
. 4. quem *perfecta charitas foras mittit*: Alius autem eſt
timor Domini Sanctus, permanens in ſæculum ſæculi; qui
dum hic vivimus creſcit ſemper, creſcente cha-
ritate.

Item oſtenditur ex Conciliis & SS. Patribus.

TRidentina Synodus in eodem Spiritu Sancto legitimè congregata, à quo dictata eſt olim S. Scriptura, ſimiliter tradit, ad juſtificationem etiam in Sacramento percipiendam neceſſario requiri initialem ſaltem affectum dilectionis erga Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem, & deteſtationem peccatorum ex tali dilectione provenientem. Etenim totam præparationis

rationis ſeriem, quâ Cathecumeni ad Juſtitiam diſponuntur, diſtinctim exponens, illum affectum dilectionis clarè exigit, dum poſt enumeratos actus fidei, timoris pœnæ, & ſpei ac fiduciæ qua in Deum eriguntur, ſubjungit: *Illumque tamquam omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiunt; propterea moventur adverſus peccata per odium & deteſtationem*. Eſtque ad minimum initialis dilec[illegible] deſcripta à Tridentino, affectus ille ex quo [illegible] lulat dolor initialis de peccato commiſſo [illegible] timor initialis de committendo; cuj[illegible] explicans D. Thomas plura tradit [illegible] hujus quæſtionis opportuna: ſci[illegible], eum eſſe medium inter timorem ſervile[illegible] filialem: à ſervili diſtingui quoad ſubſtan[illegible], quia non timet pœnam tamquam obj[illegible] proprium, uti ſervilis; ſed tantum aliqu[illegible] habet de timore ſervili adjunctum: non diſtingui autem quoad ſubſtantiam à filiali perfecto ſed habere ſe ad illum ſicuti Charitas imperfecta ad perfectam, atque reperiri in eo qui à bene agendum movetur partim ex amore [illegible]ſtitiæ, partim ex timore pœnæ.

Eſt itaque [illegible]ctus ille quo Cathecumeni Deum tamquam omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiunt, non *actus ſpei*, cujus ante mentio fit à Concilio, *ſed actus charitatis*, quâ propter ſe diligitur æquitas legis æternæ, quæ non eſt alius quam ipſe Deus, *omnis Juſtitiæ fons*. Ideo & D. Thomas dum ſimilem actuum pœnitentis ſeriem olim præformavit, expreſſe affectum dilectionis requirit, eumque *Charitatis* nomine appellat: nam poſt allatos actus quatuor, ſcilicet Dei operationem; motum fidei; motum timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur; motum ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequen-

dæ aſſumit propoſitum emendandi, ſubjungit: *quintus actus eſt motus Charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſeipſum, & non jam propter ſupplicia;* ſcilicet ſola: tandemque, quod hic probare intendimus, concludit in hunc modum. *Sic igitur patet, quod actus pœnitentiæ à timore ſervili procedit, ... à primo motu affectus ad hoc ordinatio: à timore ... filiali* (ſaltem initiali, qui ſecundum S. Thomam non diſtinguitur quoad ſubſtantiam à filiali affecto) *ſicut ab immediato & proximo principio.*

Quod autem affectus quo Cathecumeni Deum tamquam omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiunt, non tantum utilis, ſed etiam neceſſarius ſit ad juſtificationem in Sacramento percipiendam, diſertè docet Concilium dum immediatè ſubjungit, eam pœnitentiam *quam ante baptiſmum agi oportet*; idque doctrinam hujus capitis ſexti & præcedentis in compendium & articulum fidei infra colligens, actus ad Juſtificationem hominis adulti neceſſarios, eodem ordine quo ad illam concurrunt, iterum enumerans, nequaquam dilectionem prætermittit, ſed definit: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Eandem dilectionem inter diſpoſitiones ad Sacramentum Baptiſmi olim deſignavit Concilium Arauſicanum ſecundum, dum ait: *Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur; ſed ipſa nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui priùs inſpirat, & ut baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum cum ipſius adjutorio ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus.* Quod ſi autem ejuſmodi

modi pœnitentia in Cathecumenis ſit neceſſaria antè baptiſmum, dubium eſſe non poteſt, quin ea quoque in peccatoribus poſt relapſum, ante Sacramentum reconciliationis neceſſaria ſit.

Eſt & alius locus Concilii Tridentini ad hanc veritatem ſtabiliendam non minùs opportunus *ſeſſ.* 14. Ubi deſcribens pœnitentiam quæ omni tempore ad Juſtitiam & gratiam aſſequendam, etiam per baptiſmum, neceſſaria fuit, requirit deteſtationem offenſionis Dei, quæ non poteſt niſi ex aliqua Dei dilectione, ſaltem imperfecta, procedere. Verba Concilii ſunt. *Fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam Dei & Juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam qui baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abjectâ & emendatâ, tantam Dei offenſionem, cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur.* Exigit ergo Concilium quod peccator *Dei offenſionem deteſtetur*; & quidem, *pio animi dolore.* Et meritò: natura enim ipſa & ratio plenè oſtendunt ejuſmodi deteſtationem eſſe neceſſariam; nam qui amico reconciliari vult, quem injuriâ aliquâ affecit, doleat oportet quod in eum injurioſus & contumelioſus fuerit; talis autem dolor non eſt, qui gignitur ex ſolo metu pœnarum, nihil enim iſte curat de offenſione amici, ſed ſolum ſollicitus eſt pro incolumitate dolentis. Opus itaque eſt *pio animi dolore*, ſeu pio affectu dilectionis erga Deum offenſum, qui *iſtam offenſionem*, uti præſcribit Concilium, *deteſtetur.* Ideoque dum inferiùs contritionem definit, *eſſe animi dolorem & deteſtationem de peccato commiſſo*, eam intelligit quâ peccatum deteſtamur, quia peccatum eſt, ſeu in quantum Juſtitiæ eſt inimicum. Alioquin deteſtatio quâ illud

Seſſ. cap.

Ibi

deteſtamur quia pœnæ inflictivum, non tam deteſtatio peccati eſt, quam effectus ejus: quæ in. optimè diſtinguens S. Auguſt. dicit, quod *qui* 11. *gehennas metuit, non peccare metuat, ſed ardere, &: quod ille peccare metuat, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.*

Unus ſupereſt locus ejuſdem Concilii quo eadem doctrina plurimùm confirmatur. Quia tamen (quòd mirum eſt) in contrariæ doctrinæ defenſionem à nonnullis allegatur, paulò fuſiùs diſcutiendus eſt. Verba Concilii ſunt: *Illam Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpidinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat S. Synodus, non ſolùm non facere hominem hyppocritam & magis peccatorem; verùm etiam Dei donum eſſe & Spiritus S. impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis; quo pœnitens adjutus viam ſibi ad Iuſtitiam parat: & quamvis ſine Sacramenro pœnitentiæ per ſe ad Iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.* His Concilii verbis contrariæ ſententiæ aſſertores tradi contendunt, quod nullus amor Dei, ſeu affectus benevolentiæ ad Juſtificationem requiratur, eo quod nulla ejus hic fiat mentio. Verùm attendendum eſt, quod dum Concilium docet, *Attritionem ex gehennæ metu conceptam, ad gratiam in Sacramento impetrandam diſponere*, addat conditionem limitantem, in qua Dei amor involuitur, dum ait; *Si voluntatem peccandi excludat:* nam per ſolum timorem pœnæ abſque amore Dei, voluntatem peccandi excludi non poſſe, apertè docent præter alios SS. PP. & SS. Doctores Eccleſiæ, Auguſtinus, Gregorius, Ber-

nardus

nardus, Thomas Aquinas, Bonaveutura, quos Eccleſia Dei poſt Apoſtolos pro ſuis optimis ſemper Magiſtris habuit. In primis S. Auguſtin. manifeſtè docet; *quod deſiderium peccandi non excludatur, niſi contrario deſiderio rectè faciendi; ubi fides per dilectionem operatur.* Rursùs alio loco ſcribit: *Quod ſub lege eſt, qui timore ſupplicii; quod lex minatur, non amore Iuſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati; nondùm liber nec alienus à voluntate peccandi.* In eo autem qui non eſt alienus à voluntate peccandi, nequaquam excludi voluntatem peccandi, evidens eſt. Pluribus aliis locis S. Auguſt. eandem doctrinam tradit, ita ut de mente ejus dubium eſſe non poſſit.

S. A... l. 1. ad ... & Pe... cap. S. A... ad B... cap. l. 3. Item 144. Item 15. S... de ve... Apo.

Idem docet S. Gregorius Magnus, his verbis: *Sancta Eccleſia ſimplicitatis ſuæ, & rectitudinis vias timore inchoat; ſed charitate conſummat; cui tunc eſt funditus à malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cùm verò adhuc timore bona agit, à malo penitùs non receſſit.* Rursùs pluribus idipſum docet S. Doctor, dum dicit: *Admonendi ſunt qui flagella metuunt, ut ſi malis veraciter carere deſiderant, æterna ſupplicia perhorreſcant; neque in hoc ſuppliciorum timore permaneant, ſed ad amoris gratiam nutrimento Charitatis excreſcant. Scriptum quippe eſt: Perfecta Charitas, foràs mittit timorem. Et rurſum ſcriptum eſt: Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Vnde idem Doctor iterum dicit; Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Si ergo adhuc à prava actione formidata pœna prohibet, profectò formidantis animum nulla ſpiritus libertas tenet. Nam ſi pœnam non metueret, culpam procuIdubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat ſervitus timoris. Bona enim pro ſemet ipſis amanda ſunt, & non pœnis compellentibus*

S. Gr... lib. 1 ... ral. c. Idem curæ p... ſtor. a... nit 1

exequenda

exequenda. Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, ut audaciter illicita committat. Vnde luce clarius conſtat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos deſiderio peccatur. Ita S. Gregorius.

Ejuſdem mentis & ſententiæ eſt S. Bernardus,
ıard. dum ait: *Nec timor quippe, nec amor privatus con-*
II. *vertit animam, mutant interdum vultum, affectum numquam.* Quomodo ergo voluntatem peccandi excludit timor, ſi numquam affectum mutet? Pergit idem S. Doctor. *Facit quidem etiam ſervus nonnumquam opus Dei, ſed quia non ſponte, in ſua adhuc duritie permanere convincitur.* Et paulò pòſt: *Sit itaque ſervo ſua lex timor ipſe quo conſtringitur; ſit mercenario ſua cupiditas quâ & ipſe arctatur, quando ab ipſa tentatur abſtractus & illectus: ſed harum nulla ſine macula eſt, aut animas convertere poteſt.*

ɔm.1. Supradictis SS. PP. conſonat S. Thomas. *Lex,*
07. inquit, *vetus dicitur cohibere manum; non animum,*
12. *quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas à peccato recedit, ſicut recedit voluntas ejus qui amore Iuſtitiæ abſtinet à peccato: & propter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris, dicitur animum cohibere.* Idem denique docet S. Bonaventura, dum loquens de timore ſervili quo timentur æterna ſup-
ıav. plicia, & metuitur divina Juſtitia, dicit: *Propter*
di- *illorum timorem ceſſat homo à peccatorum perpetratione,*
14. ı.59. *licet non omninò ceſſet à voluntate.*

Hanc ſolidam veritatem de ſufficientia timoris pœnarum ad excludendam voluntatem peccandi præ oculis habentes Patres Concilii Tridentini, ſibi ipſis viſi ſunt mentem ſuam ſuper neceſſitate illius amoris ad contritionem imperfectam, quæ ad gratiam in Sacramento impetrandam diſponit, ſufficienter patefacere, requirendo, quod *voluntatem*

tatem